



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De hæredibus, si iussa testatoris non impleuerint, vt episcopus adimpleat.
xxxiiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

*Quod sancta Ecclesia unum patrem habeat
in cælis. Cap. XXXII.*

QVia ergo constat in Ecclesia diuersarum conditio-
num homines esse, vt sunt nobiles, & ignobiles, ter-
ti, coloni, inquilini, & cætera huiuscemodi nomina, oportet, vt quicumque eis prælati sunt, clerici, siue laici, clemē-
ter erga eos agant, & misericorditer eos tractent, siue in
exigendis ab eis operibus, siue in accipiendis tributis, &
quibusdam debitis, sciantque eos fratres suos esse, & vnū
patrem habere Deum, cui sic clamant: Pater noster qui es
in cælis, vnā matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos in te-
merato sacri fontis vtero gignit. Disciplina igitur eis mi-
sericordissima, & gubernatio opportuna adhibenda est.
Disciplinæ in disciplina te viuendo, authorem suum offen-
dunt. Gubernationes in quotidianis vitæ cōmeatib⁹ præ-
latorum adminiculo destitutæ fatiscunt.

De illo qui pro catholica fide tribulationes patitur.

Caput XXXIII.

Christianum catholicū, qui pro catholica fide, & pro
Ecclesiasticis rebus, & Christiana religione tribula-
tiones patitur, omni honore à sacerdotibus honorandum,
etiam & per diaconum victus ei ministretur.

*De heredibus, si iussa testatoris non implenerint, vt
episcopus adimpleat. Cap. XXXIII.*

Si heredes iussa testatoris non adimpleuerint, ab epi-
scopo loci illius omnis res, quæ his relicta est, canonicè
interdicatur, cum fructibus, & cæteris emolumentis, vt vo-
ta defuncti impleantur.

*Vt laici quanuis religiosi Ecclesiastica non
disponant. Cap. XXXV.*

Laicis, quanuis religiosi, nullo modo de ecclesiasticis
facultatibus aliquid disponendi, vnquam attribuatur
facultas.

De illis qui res Ecclesie à regibus petunt.

Caput XXXVI.

QVI res Ecclesie petunt à regibus, & horrendæ cu-
piditatis impulsu egentium substantiam rapiunt,
irrita habeantur quæ obtinent, & à communione
Ecclesie, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

GG

*Ex cōcil.
Cabillon.
cap. 51.*

*Ex cōcil.
Cartha-
gi. ca. 43.*

*Ex cōcil.
Mogūti.
cap. 1.*

*Ex eodē
cap. 5.*

*Ex cōcil.
Lugdunē
si, cap. 11.*